UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

91. An Sacerdos poßit aliquando eodem die plures Missas celebrare? Et pro praxi huius quæstionis septem casus in textu huius Resolutionis aßignentur, sed aliqui eorum abierum in desuetudinem? Ex ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76405

Visual Library

RESOL. LXXXIX.

An licitum ſit celebrare Miſſam in Altari, in quo Epiſcopus celebrauit ea die abſque eius licentia?

Et an Canon, & præceptum circa hoc ſit in vſu, vel contraria conſuetudine ſit abrogatum, & ideo non obliget? Ex part.10.tr.12. & Miſc.2.Reſ.24.

§.1. NEgatiuè reſpondet Paz Iordanus, Epiſcopus Traguríenſis *in ſuis Elucubration.tom.2. lib.4.tit.1.n.*149. vbi ſic ait: In locis, in quibus alias permittitur celebratio, illa cenſeatur prohibita quotieſcumque Epiſcopus ea die ſuper ipſo Altari celebrauerit, *cap.in Altare vlt.de Conſecr.diſt.*2. quòd & ſi loquatur de Miſſa cantata, atque adeò ex vi literæ de illa tantùm intelligendum videatur vt nonnullis placuit: tamen ex Decreto Concil.Altiſiod. *cap.*10. *ex gloſſ.*auctoritate *in d.cap.* ex conſuetudine optima legum interprete; atque ex doctrina Ang.*verb.Altare,§.fin.*Tabien.*ead.quæſt.penult.* Sylu.& Armill.*eod.verb.* Homob. de Bonis *tractat.*4.*q.*139. Gauant.*theſ. Sacr.rit.part.*1.*tit.*20.*tit.F.verſ.Illud.* generaliter accipitur, etiam de Miſſa priuata, reuerentia namque debita Epiſcopo, propter quam id ſtatutum fuiſſe admonet Gloſſ.*in d.cap.fin.*militat in vtroque caſu: & quamuis Azor.*part.*1.*lib.*10.*cap.*27.*quæſt.*10. teſtetur dictum Canonem alicubi conſuetudine contraria derogatum; Gauantus tamen *l.c.* fatetur in Mediolanen.Prouincia, ea qua decet reuerentia cuſtodiri; prout etiam in his partibus ſeruari, poſſum & ipſe teſtari. Hucuſque Iordanus.

2. Verùm, non obſtantibus, Scortia *de Sacrific. Miſſæ, lib.*2.*cap.*14.*n.*6. Caſtrus Palaus *tom.*4.*tr.*22. *punct.*9.*n.*11. Layman *lib.*5.*tract.*5.*c.*6.*n.*10. teſtantur, præceptum hoc conſuetudine ferè vbique eſſe abrogatum. Et nouiſſimè P.Dicaſtillus *de Sacram.tract.*5. *diſp.*4.*dub.*8.*n.*150. docet, hoc præceptum non eſſe in vſu, atque adeò non obligare. Vnde ego puto propter reuerentiam debitam Dominis Epiſcopis in caſu contingenti, ſemper ab ipſis eſſe licentiam petendam: ſed ſi non petatur, exiſtimo ſine vllo peccato poſſe celebrari, & non eſſe ſcrupulis locum dandum.

3. Nota, quòd poſt hæc ſcripta inueni Franciſc.de Nigro, *in Addit.de celebr.Miſſ.p.*6. *Animad.*8. *q.*10. ex Bartholomæo de S.Fauſto docere ſupradictũ Can. *in Altari, de Conſecr. diſt.*1. intelligendum eſſe de Miſſa Solemni, & Pontificali, non autem de Miſſa particulari, & de Altari, in quo Epiſcopus tanquam particularis Sacerdos celebrat, & probat ex verbis Textus, *ibi*: In quo Epiſcopus Miſſam cantauit. Et addit, quòd hic Canon videtur deſuetudine abrogatus; & forſitan olim locum habebat, cùm Epiſcopus in propriis Eccleſiis, & in ſua Diœceſi pontificaliter Miſſam cantabat.

RESOL. XC.

An Sacerdos poſſit dicere Miſſam ante Matutini Officij celebrationem? Ex part.2.tr.14.Reſ.36.

§.1. PEccare mortaliter, ſi Sacerdos hoc faceret, ſentiunt non ignobiles Authores, quos inuenies in numero paulò minus quàm 30. apud doctiſſ. Cenedum *in ſuis Canonicis quæſtionibus q.*3.*n.*7. quorum ſententiam ipſe mordicus tuetur, & probat tum ratione conſuetudinis, tum ex rubricis Miſſalis editis ex authoritatibus Romani Pontificis: vbi dicitur, quod Sacerdos celebraturus accedat ad ſacrificiũ

Miſſæ Matutino ſaltem abſoluto. Et hanc opinionem tenet etiam ex neotericis Pitigianus *in tom.*1.*diſt.*13. *q.*2.*art.*10. & Zanardus *in direct.Theol p.*1.*de Euchar. cap.*9.*q.*7.

2. At contrariam ſententiam probabiliorem eſſe iudico & in praxi ſine vllo ſcrupulo amplectendam, & præter Doctores 20.quos citat & ſequitur Barboſa *de poteſtate Epiſcop. p....alleg.*24.*n.*15. docet etiam hanc ſententiam Layman *lib.*4.*tr.*5.*c.*4.*n.*5. Ioan.de la Cruz *in direct.conſc.p.*1.*præcept.*3.*art.*3.*dub.*4.*concl.*2. Raphaël de la Torre *in* 2.2.*tom.*1.*controuerſ.*8.*diſp.*2. *n.*6.& 7. Villalob.*in ſum.tom.*1.*tr.*8.*diffic.*30.*n.*1. Ratio eſt quia, vt ait Syluius *in* 3.*p.q.*83.*art.*2. ex ſui inſtitutione, matutinales preces, & ſacrificium Miſſæ nullam habent connexionem, neque vllum ordinem, nam preces horariæ adinuentæ ſunt, vt eis exhiberetur cultus diuinus, Deo ſupplendo pro populo. Myſterium verò Euchariſtiæ à Chriſto inſtitutum eſt, vt recoleretur memoria Paſſionis eius, in quo nulla connexio inuenitur, quare vnum ad aliud requiratur.

3. Ad argumenta in contrarium, reſpondetur ad primum, negando adeſſe talem conſuetudinem obligantem ad peccatum mortale. Ad ſecundum reſpondetur, in Miſſali Romano nullum eſſe verbum præceptiuum, & ex modo quo illa regula ponitur, apparet ibi nihil nouum ſtatui, ſed ſolum declarari, & proponi quod fieri ſolet & expedit. Imò *ibidem* expreſſius admonentur Sacerdotes vt priùs aliquantulum vacent orationi.

RESOL. XCI.

An Sacerdos poſſit aliquando eodem die plures Miſſas celebrare.

Et pro praxi huius quæſtionis ſeptem caſus in textu huius Reſolutionis aſſignantur, ſed aliqui eorum abierunt in deſuetudinem. Ex p.2.tr.14.Reſ.56.

Sup.hac generali interrogatione lege infra ex Reſ.146. §. Ad dubium. & alium §. eius annot.

§.1. MVlti, vt Palud. D.Anton.Turrecr.Durand. & alij apud Doctores, *vbi infrà*, affirmatiuè reſpondent, & ex neotericis docet etiam hanc ſententiam Valentia *tom.*4.*diſp.*6.*q.*11.*punct.*3.*ad* 7. Henriquez *lib.*9.*cap.*30.*art.*7.& Nauar.*in man.c.*25.*n.*93. & alij. Caſus autem, in quibus id liceat, dummodo Sacerdos ſit ieiunus, ad ſeptem reducunt. Primus, in die Natiuitatis Domini noſtri. Secundus, quando iam ferè dicta Miſſa, ſuperuenit Pontifex, Epiſcopus, aut habens quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem ordinarius Prælatus, Rex, vel aliquis Princeps ſæcularis, aut etiamſi ſuperueniant aliqui itinerantes in die præcepti feſto. Tertius, ſi cùm finit Miſſam, nuntiatur ei, quòd intrat defuncti corpus ſepeliendum cum Miſſa. Quartus, ſi non eſt ſeruata Euchariſtia, & nuntiatur aliquem in articulo mortis eſſe, debet iterum celebrare, & dare ægroto viaticum. Quintus, ob benedictionem nuptiarum, quando aliqua neceſſitas, aut magna congruentia vrget. Sextus, ob rationabilem cauſam iudicatam à bono, & cordato viro, ob quam videatur neceſſarium, vel congruentiſſimum, vt Miſſa ſecundò dicatur, quod habetur *cap.conſuluiſti, de celebr.Miſſ.* Septimus porrò, quando vnus Sacerdos præficitur duabus Eccleſiis Parochialibus, ob illarum paupertatem,

Pro primo caſu contento ad lin.7. huius textus in Reſ. ſeq. Et §.2. not. præteritæ & pro ſecundo latè infra in Reſ.94.& in aliis earum annotationũ pro iſtis caſibus, & pro tertio, quarto, & ſeptimo caſu cõtentis etiam in hoc §.1. in Reſol.ſeq. & in aliis eius annot. pro iſtis caſibus.

2. Sed ob multiplicitatem Sacerdotum hi caſus abierunt in deſuetudinem, & ſolus primus & vltimus in his noſtris regionibus obſeruatur, vt bene obſeruat Llamas *part.*3.*Meth.cap.*5.§.17.*in fine.* Ioan.de la Cruz *in director. conſc.p.*2. *de ſacr.Miſſæ, q.*2. *dub.*3. *concl.*3.*in fine.* Syluius *in* 3.*p.q.*85.*art.*2.*ad* 5. Scorzia *de ſacram.Miſſæ, lib.*2.*c.*16.*n.*2. Molfeſ. *in ſum.tom.*1. *tract.*3.*c...num.*46. Vgolin.*de poteſt.Epiſcopi, c.*16.*n.*4.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Vaſquez *in 3.p.tom.3.diſp.232.cap.5.n.48.* Pitigianus *tom.1.in 4.diſt.13.q.2.art.3.* Nugnus *tom.1.in 3.part. q.83.art.2.* Suarez *tom.3.in 3.p.diſt.8.ſect.3.* & alij. Vnde Sacerdotes conſiderent in aliis caſibus quid facere debeant, & attendant conſuetudinem locorum, & regionum, & celebrent de licentia Epiſcopi, vt obſeruat Poſſeuinus *cap.2.n.7.*

RESOL. XCII.

An quando Parochus poſſit celebrare duas Miſſas, poſſit etiam hoc facere non ſolùm in diebus Feſtiuis, ſed etiam in diebus Ferialibus?

Et notatur, quod quando dicitur poſſe bis celebrare, intelligitur etiam ter, aut ſæpius, ſi toties occurrat neceſſitas eodem die.

Et aduertitur, quod in prædictis caſibus requiritur, vt Sacerdos, vel Parochus ita celebrans ſit ſemper ieiunus, hoc eſt, quod in prima Miſſa non recipiat ablutionem, ſed ſolum corpus, & ſanguinem, & aliter non poterit dicere ſecundam Miſſam.

Sed quid eſt faciendum in Feria VI. Paraſceues, ſi inaduertenter Parochus, qui in Feria V. Cœnæ Domini debebat ſeruare in vna Parochia Sanctiſſimum Sacramentum, & reſeruauit illud in duas Parochias?

Et ſi accidat caſus, quo antequam Sacerdos ſumat ablutiones, ſcit gentium multitudinem tunc ex itinere aduenſſe, ſitque dies Feſtiuus, & non ſit alius Sacerdos, an poſſit iterum celebrare?

Item, an ſit licitum, vbi eſt raritas Sacerdotum, & magna frequentia populi, vt eſt in India, eodem die plures Miſſas celebrare, quando Sacerdos non poteſt vna celebratione ſatisfacere toti populo?

Item, an ad communicandum moribundum infirmum morti vicinum; & vbi eſt conſuetudo, vt defunctus ſine Sacrificio non ſepeliatur, poſſit Sacerdos poſt primam Miſſam celebrare ſecundam? Ex part.10. tract.16. & Miſc.6.Reſ.23.aliàs 22.

Supr. hoc in tom.3.tr.1. Reſ.54.§.Sed ego. ante medium.

§. 1. AFfirmatiuè reſpondet Suar. *in 3.p. tom.3. diſp.8. ſect.3.§.ſextus autem caſus.* Sed aduerſus illum inſurgit Nugnus rectè, vt obſeruat Cardin.de Lugo *reſp.mor.lib.1.dub.14.* dicens, hanc ſententiam eſſe omnino improbabilem, & non eſſe veram dicit Marcus de los Huertos *de Sacrificio Miſſæ q.13.* & non adhæret huic ſententiæ Trullench. *de Sacram.lib.3.c.8.dub.1.n.4.* vbi ſic aſſerit: Dico tertiò, quando Sacerdos habet duas, vel tres Parochias, poteſt duas, vel tres Miſſas in die celebrare, ita communis DD. hoc autem intellige, modo Parochus non poſſit commodè habere coadiutorem: In quo tamen ſtandum erit conſuetudini: vt bene Villalobos *p.1. tr.8.diff.21.n..*.Intellige etiam, id procedere in diebus feſtis, non verò in feriatis; vnde non placet, quod dicit Suarez, nimirum, etiam id licere in diebus feriatis, ſi populus ſit ſufficiens, nam tunc nec ex parte Sacerdotis, nec populi reperitur magna neceſſitas, quod requirit dictum *cap.Conſuluiſti*, & ſufficit, vt alternatiuè Miſſam in vna Parochia vna die, & alteram in alia Parochia: admitterem tamen ego ſententiam Suarez in aliquo die feriato, in quo populus abſtinet ſe ab opere ſeruili in honorem alicuius Sancti, illiuſque feſtum celebrant, & ex alio capite occurrit neceſſitas celebrandi in altera Parochia. Ita Trullench. Sed ego puto abſolutè, ſententiam P.Suarez eſſe probabiliſſimam, & tutam in praxi, & illam ſuſtinet Leandrus *de Sacram.tom.2.tr.8.diſp.5.q.38.* Card.de Lugo *vbi ſup.n.2.* qui citat etiam Ioan.de la Cruz Dominicanum, & Gaſp.Hurtadum. Hanc etiam ſententiam Suarez docet, nouiſſimè P.Dicaſtillus *de Sacrament. tom.1.tract.5.diſp.4.dub.3.n.39.* Caſtrus Palaus *tom.4. tr.22.punct.7.n.9.* & Amicus *in Curſ.Theol.to.7.diſp.33.Scol.11.n.316.* Et vt aduerſus Nugnum, & alios hæc opinio remaneat ſatis probabilis, non grauabor hic apponere verba Martini de San Ioſeph. *in Mon. Confeſſ.to.1.lib.1.tr.13.de Euchar.n.7.& 8.* vbi ſic ait: [Al Sacerdote le eſta prohibido celebrar mas de vna vez al dia, por Derecho Eccleſiaſtico, cap.*Sufficit de Conſecratione dict.1.*cap.*Conſuluiſti*, cap.Referente, *de Celebrat.Miſſar.* Saluo el dia de Nauidad en que ſe pueden dezir tres Miſſas, ſaluo tambien los caſos de neceſſidad, como lo dize Innocentio III. *dict.c.Conſuluiſti*, y contrauenit à eſte precepto, es pecado mortal, en que conuienen los Dotores. El caſo de neceſſidad, en que puede el Sacerdote celebrar mas de vna Miſſa, es quando tiene dos Parrochias en diuerſos pueblos, que el vno por ſu pobreza no tiene Cura, podra dezir dos Miſſas, para que cada pueblo pueda oir Miſſa las Fieſtas, d.cap.*Conſuluiſti.* Es coſa eſta recibida en la pratiqua, y comunemente admitida de los Dotores, y tengo por probable la opinió de Suarez, que dize, que no ſolamente en las Fieſtas, ſino en otro qualquiera dia podra dezir Miſſa en ambas Igleſias, ſi en ambas ay ſuficiente numero de Fieles, que quieran oir Miſſa cada dia, y puedeſe fundar en el miſmo capitulo *Conſuluiſti.* Pero como aduierte Villalobos *tr.8.de Miſſ.diffic.11.* no ha de tomar el Sacerdote lauatorio en la primera Miſſa, que ſi le tomaſſe, no ſeria licito dezir a ſegunda, ni en el dia de Nauidad.] Ita ille. Vnde Dicaſtillus, & alij penes ipſū vbi ſuprà putant, quod quando Parochus alterius oppidi eſt ægrotus, aut abſens, poterit ſecundò alius Sacerdos ibi celebrare, qui iam in ſua Eccleſia celebrauit. Aduerte, quod quādo dicimus poſſe bis celebrari, intelligimus etiam ter, aut ſæpius, ſi toties neceſſitas occurrat eodem die, vt Suarius, & alij notarunt. Quidquid dicat Fagundez *in primo præcepto Eccleſiæ, lib.3.c.17.* & ante illum Henriq. *lib.9.c.30.n.7.* ex textu, cap.*Conſuluiſti, citato*, in quo textu non eſt ſermo magis de duplici, quàm de multiplici, vt legenti conſtabit. Sed ad hoc, vt Sacerdos poſſit bis, aut ter celebrare in caſibus, in quibus id licet, iuxta ſuperiùs dicta, requiri, quod ſit ieiunus; vnde in priori Miſſa nō debet ſumere ablutiones, aliter dicere non poterit ſecundam. Ita DD. communiter. Notandum eſt hic obiter cum Trullench. *de Sacram.lib.3.c.8.dub.2.n.6.* quod in hoc caſu Sacerdotem duas Parochias habentem in Feria V.Cœnæ Domini ſolùm poſſe reſeruare Sanctiſſimum Sacramentum in vna Parochia, nam Feria VI. ſequenti ſumitur vna particula vino mixta, & cùm iam non ſit ieiunus, non poterit idē facere in alia Parochia. Quod ſi inaduertenter in duabus Parochiis Sanctiſſimum Sacramentum reſeruauit, ait Suar. *ſup.* & bene, vt in priori Eccleſia ſumat Sacram Euchariſtiam ſine vino, vt maneat ieiunus, & ſic poterit in altera Parochia Sacram Euchariſtiam ſeruatam ſeruandis ſumere. At ſi in priori ſumpſit particulam cū vino, in ſecunda non ſumat Sacramentū, ſed illud reſeruet in Sacrario. Hoc tamen intellige, caſu quo commodè Miſſa extra Eccleſiā in altari portatili celebrari non poſſit, aliter enim non poſſet plunes celebrari quia ceſſat neceſſitas, vt bene Ledeſma in Sum. *tom.1.c.19. de Euchar. poſt.7. concl.* & cum Villalob. *ſuprà, n.8.* Ad hunc caſum reduci poteſt, ſi Sacerdos antequam ſumat ablutiones, ſcit gentium multitudinem tunc ex itinere aduertaſſe: ſitque dies Feſtus, & non alius Sacerdos, poſſe iterum celebrare, vt probabiliter docet Villalobos, *ſuprà, n.9.* cum Suarez loc. *citato.* Sed hæc mihi non placent, & quoad primum, quia id non poteſt ſemper fieri, nec decet; maxime ſi cœli inclementia non permittat, vt quando pluit, ningit,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN